Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

tobias ait. Sustine me obsecro donec
hec ipsa denuncio patri meo. Tunc to
bias ingressus domum indicavit u
niversa hec patri suo. Super que ammiratus
rogavit pater ut introiret ad eum
Ingressus itaque salutavit eum et dixit
Gaudium semper tibi sit. Et tobias ait quale
michi gaudium erit quod in tenebris
sedeo et lumen celi non video. Cui ait
iuvenis forti animo esto. in proximo
est ut a deo cureris. Dixit itaque illi
tobias. Numquid poteris perducere fili
um meum ad gabelum in rages civi
tatem medorum. et cum redieris resti
tuam tibi mercedem tuam. Et dixit
ei angelus. Ego eum ducam et reducam
sanum ad te. Cui tobias ait rogo te
indica michi de qua domo aut de qua
tribu es tu. Cui raphael angelus dixit
Genus mercennarii queris an ipsum
mercennarium qui cum filio tuo eat
sed ne forte sollicitum te reddam ego
sum azarias ananie magni filius.
Et tobias respondit. ex magno genere
es tu. sed peto ne irascaris quod vo
luerim cognoscere genus tuum.
Dixit autem illi angelus. Ego sanum
ducam et sanum reducam filium
tuum tibi. Respondens autem tobias
dixit. Bene ambuletis et sit deus in iti
nere vestro et angelus eius ~~eius~~ comite
tur vobiscum. Tunc paratis omnibus
que erant necessaria in via portanda
fecit tobias vale patri suo et matri
sue et ambulaverunt ambo simul. Cum
que profecti essent cepit flere mater
eius et dicere. Baculum senectutis
mee tulisti et transmisisti a nobis. Num
quam esset pecunia ipsa pro qua misisti eum

Sufficiebat enim nobis paupertas
nostra ut divitias computaremus hoc
quod videbamus filium nostrum.
Dixitque ei tobias. noli flere salvus per
veniet filius noster et salvus revertetur
ad nos et oculi tui videbunt. Credo enim
quod angelus dei bonus comitetur ei.
et bene disponat omnia que circa eum ge
runtur ita ut cum gaudio revertatur
ad nos. Ad hanc vocem cessavit mater
eius flere et tacuit. VI

Profectus est autem tobias et ca
nis secutus est eum et mansit
prima mansione iuxta fluvi
um tygris et exiit ut lavaret pedes
suos. et ecce piscis immanis exivit ad
devorandum eum. quem expavescens
tobias clamavit voce magna dicens
Domine invadit me. Et dixit ei an
gelus. Apprehende branchiam eius et trahe
eum ad te quod cum fecisset attraxit
eum in siccum et palpitare cepit ante
pedes eius. Tunc dixit ei angelus. Ex
entera hunc piscem et cor eius et fel et
iecur repone tibi. sunt enim necessaria hec
ad medicamenta utiliter. Quod cum
fecisset assavit carnes eius et secum
sustulerunt in via. cetera salierunt
que sufficerent eis in via quousque perve
nirent ad rages civitatem medorum
Tunc tobias interrogavit angelum et
dixit ei obsecro te azarias super indica
michi quod remedium habebunt ista
que de pisce servare iussisti. Respon
dens quod angelus dixit ei. Cordis eius
particulam si super carbones ponas fu
mus eius extricat omne genus de
moniorum sive a viro sive a muliere
ita ut ultra non accedat ad eos. Et